

Quod vero Euripidis etiam plures hodie leguntur fabulae, cum non minus quam undeviginti supersint, id quidem singulari literarum fortunae debemus; nam duo tantummodo noti sunt codices, Palatinus scilicet et Florentinus secundus (hujus si apographa fere quinque excipimus), qui numerum fabularum novenum excedant*. Novem autem, quas diximus, fabulae, eae scilicet quibus scholia antiqua plus minus integra hodie accesserunt, hae sunt; Hecuba, Orestes, Phoenissae, Medea, Hippolytus, Alcestis, Andromacha, Troades, Rhesus. Reliquis plane desunt scholia, sive ea lapsu temporum interciderunt, seu potius, quod verius arbitror, neglexerunt grammatici ea dramata commentariis illustrare, quae discentium usibus minus accommodata judicarent, eademque etiam de causa multo parcius aut docenda aut exscribenda curarent. Ut sit, illud quidem permirum videri potest, pulcherrima dramata, qualia sunt Ion, Helena, Iphigenia in Tauris, et Bacchae, aliis multo inferioribus tam diu posthabita fuisse. Orestem praecipue dico et Phoenissas, quarum neutra inter optimas Euripidis fabulas jure recensenda est. Scilicet sophistas et rhetoras pluris tunc faciebant quam poetas.

Qui de Euripidis codicibus omnium optime et accuratissime scripsit, Adolphus Kirchhoffius (Berolini 1855), novem fabularum Euripidearum exemplaria integra saeculis XII. et XIII. extitisse arbitratur, easque ex anonymi cujusdam incertae aetatis recensione vulgatas fuisse. Ex his demum exemplaribus propagatae sunt tres codicum familiae; quarum una integras fabulas IX. cum scholiis exhibebat; altera seriore grammatici alicujus Byzantini recensione saeculo decimo tertio passa est, atque ideo magis dubiae fidei nunc habenda est; tertia saeculis demum XIV. et XV. trium fabularum syllogen complexa et transcribentium conjecturis adeo inquinata est, ut nullius fere utilitatis critico hodie habenda sit. Hujusmodi libros (octo fere numero, ut videtur) cum ad celeberrimam quatuor fabularum editionem adhiberet Porsonus, contigit tamen illi ut ne unum quidem librum melioris notae inspiceret. Quo

* Palatinus fabulas XIII, Florentinus omnes praeter Troadas complectitur.